



Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Practici Tractatus, De Legibus

Marchius, Ewald

Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661

Cap. III. Vtrum effectus Legis sit hominem facere bonum? & qui sint actus Legis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42256

10 Nuclei Tractatus practici

que Populus LEGES accipiat. Ita docet Soto libro 1. de Justitia & Jure. q. 1. art. 4. Angelus verbo Lex q. 13. Cajetanus & Medina contra Sylvestrum & alios quosdam.

Hæc tamen intellige, nisi contrarium, in LEGE exprimatur, ut aliquando contingit, in LEGIBUS de male promoventibus & Promotis ad Ordines, quas Pontifex expresse vult obligare, in urbe quidem 15. die à Promulgatione, citra alpes post 4. menses, ultra autem post novem.

C A P U T III.

Virum effectus Legis sint, Hominem facere bonum? & qui sunt actus Legi?

Respondet S. Thomas 12. q. 92. affirmati-
ve; quia omnis Lex est instituta, ut Ho-
mines eam sequentes, efficiantur boni, vel
simpliciter, vel secundum certum modum &
finem.

Lex enim supernaturalis, eo tendit, ut Ho-
mo fiat bonus, per virtutes divinas, atque
adeo efficiatur per gratiam filius Dei adopti-
vus.. Lex Naturalis, ut fiat bonus Virtutibus
moralibus, commensuratis naturæ. Lex Ci-
vilis, ut fiat bonus Civis. Ecclesiastica autem,
ut quis sit bonus Christianus, saltem secun-
dum exteriores actus.

Lo-

Loquendo de veris, & proprie dictis L E G I B U S, id quod dicitur L E G I S effectum esse, facere hominem bonum simpliciter aut secundum quid, sic intelligendum: Quod quædam L E G E S, corespiciant proxime, ut faciant hominem bonum, & perfectum, secundum absolutam rationem virtutis, ut dici potest de L E G E Christi, aut Charitatis. Quædam vero, eo respiciunt proxime, ut faciant hominem bonum, secundam aliquam particularem virtutem, ut sunt pleraque L E G E S Humanæ, ita quod hoc etiam attribuendum sit L E G I B U S Civilibus, quod intendant, finem facere bonum, & secundum moralem rationem virtutis, ut constat ex Aristotele 3. Politicorum 4. ubi dicit Finem Civitatis esse, bene vivere, & honestatem aliquam participare.

Actus Legis sunt, imperare, vetare, permittere & punire, quia L E G I S est, bene dirigere & componere Rempubl. in ordine ad commune bonum; ut autem hoc præstet, debet actus quosdam, tanquam utiles & bonos suscipere, quosdam autem tanquam malos & noxios vitare. Item aliquando necessarium est, ad Reipubl. tranquillitatem, ut quædam minora incommoda tolerentur, ad graviora præcavenda.

A 6

Hinc

Nuclei Ttaetatus practici

Hinc etiam LEX debet quædam permettere. Unde in quibusdam locis tolerantur lupanaria, & usuræ, ut vitentur adulteria Furta & Rapinæ, Expilations, & similia majora mala. Denique quia LEX frustra esset, nisi illi obtemperaretur, propterea accedit quartus actus, qui est punire, quatenus timore poenæ, quam LEGES statuunt, multi inducantur, ad LEGUM observantiam, juxta illud oderunt peccare Mali, formidine poenæ.

C A P U T IV.

Quid sit LEX æterna? & an omnibus nota? omnięque LEX ab ea derivetur? Ac omnia necessaria & æterna, uti & naturalia contingentia, & omnes res humanae illi subjiciantur?

LEX Æterna nihil est aliud, quam ratio Divina Sapientia, secundum quod est directiva omnium motuum & actionum Creaturarum. Ita S. Thomas 1. 2. q. 93. art. 1. Declaratur: Sicuti enim in mente Artificis, præexistit Idæa sive Exemplar eorum, quæ exacte facere intendit; ita necesse est, ut in mente cuiuscunque Rectoris (ut bene gubernet) reluceat ordo, juxta quem debeant omnia operari, & sese habere, quæ ejus gubernar-